



Dorpaneus ob insignē corporis & animi fortitudinem à Gothis in Dacia rex creatus fuit, Anno post Christum saluatorem nostrum natū octuagesimo quinto, cum Domitianus Romanū Imperium gubernaret. Itaq; Dorpaneus ripā Danubiij à Romanis iam diu defensam uastauit, et milites præfidiarios trucidauit. Id cum Oppius Sabinus (qui post Agrippam eius loci præfectus erat) intellexisset, copijs ascitis, cum Gothis prælio decertauit. Verū Dorpaneus cum suis egregiè uicit, & Oppium Sabinum capite truncauit. Postea multas Romanorum arces & ciuitates diripuit. Id cum Romæ nūciaretur, magna trepidatio urbem

inuasit, omnibus timentibus ne uictor ad interiora Romani Imperij se diffunderet, et omnia pessundaret. Ea necessitate Domitianus Cæsar cōpulsus, cum omni robore militum in Illyricum peruenit, atq; confertis manibus suos cum duce Fusco Cornelio Istrum transire præcepit. Verū Gothi haud segnes arma capescunt, & primo statim congressu Romanos memorabili prælio uincunt, & castris eorum potiuntur. Vnde Dorpaneus à suis non purus homo, sed semideus creditus, atq; Anses dictus fuit, præsertim cum Domitianus Cæsar Gothis tributa soluere cogeretur, ut Dion Græcus author testatur. *Vr̄sp̄erg. in Chronicis. Ioan. Mag. in Hist. Goth. lib. 6. cap. 2*